



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Talio, Sev Metiens Et Remetiens Mensvra

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1650

§. 16. Christiani ludæis paria qui perpetrant scelera, paria metuant
supplicia.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52346](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52346)

§ XVI.

*Christiani Iudæis paria qui perpetrant scelera,
paria metuant supplicia.*

Ita quidem Iudæis potest peccatum & supplicium exprobrari, & nobis; quare cum illis flentibus meritò & nos fleamus. Nam videntur illi mihi dicere: Suspendimus organa nostra: fleuimus, ut meruimus, à nemine deplorandi; quia nullius nos amplius lachrymæ iuuant. Vos Christiani, *Flete super vos, & super filios vestros. Si enim in viridi ligno hæc faciunt, in arido quid fiet?* Si nos Iudæi, qui Christum non agnouimus, ita plectimur; quid vobis eueniet, qui Christum profitemini, & sæpe crudeliùs tractatis? Hierusalem Dominum occidens exemplum & imago est, cuiusque animæ, vrbis, regionis, immò totius Mundi Christum repudiantis, contemnentis, & crucifigentis. Maledicta, quæ fecit, tulit Hierusalem: sensit talionem. Vos quoque talio manet, qui sceleribus Iudæos imitamini. Sic euenit non solum in extremo iudicio malis omnibus, sed etiam multis in hac vita. Et quidem i. illis, qui veros & veridicos Prophetas nolunt audire, sed se sinunt decipi à falsis dicentibus, pacem esse, & non est pax; ponentibus

Lucano

lucem in tenebras, & tenebras in lucem. Quàm multis prædicit Christus interitum, & non credunt? monet, & non audiunt? quàm flet super multos? & non sentiunt? Mundo autem vanissima promittenti, & vanissime, omnia credunt; quasi nullum venturum sit tempus vindictæ. 2. Illis, qui Titum Christo præoptant, & præeligunt. Plurimi enim dominos sæculares æterno Deo anteponunt, & nesciunt, quàm durum iugum sint passuri; sed serò oculos aperient, eum repentina eis superueniet calamitas. 3. Quàm multi ipsum tempus Paschale eligunt, pro occasione peccandi? Nam, ut taceam, diebus festis omnibus ludo, com-
potationi, Veneri, per totum annum maxime litari; quot jam ipso Paschatis tempore, sacrilegè confitentur, & communicant instar Iudæ proditoris; Christumque crucifigunt denuo, & sacrosanctum sanguinè eius pedibus conculcant? 4. Quanti ad montem Oliueti in tenebris eunt, ut cum Iuda osculum captent, dum amasij suis in ipsis templis insidiantur; & alij cum Christo sanctissime orantibus, ipsi occasionem quærunt saltem oculis libidinandi? 5. Quanti Christum toto anno in SS. Eucharistia

charistia inclusum sinunt quasi in carcere, esse, neque eum visitare, aut sumere appetunt, in pectoris sui hospitio collocandū? 6. Quàm vili pretio aut labore eum emunt? vix ad templum eunt, vix se ad confessionem præparant: vix vnum dolorem, aut suspirium, aut emendationis propositum eliciunt: multi ne vnam quidem lachrymulam pro eo darent, ne vnum gemitum; quid enim dicam, ne vnum ieiunium, cilicium, aut flagellum? 7. Immò ei, cum Iudæis, illudunt mille modis. 8. Eum flagellant, è domo educunt; eijciunt è ciuitate; è pectoribus suis, è memoria, ex ipsis iconibus eradunt. Quid enim aliud est, obliuisci monitorum Christi, eiusq; beneficia nolle meminisse? 9. Quid de magis & sagis dicam, qui hostiam sacram, in conuentibus suis concriminantur, & acubus, cultris, pugionibus conuulnerant, neque se sinunt miraculo sanguinis inde emicantis commoueri. Clarissimum prodigium cum vident, rident; cum animaduertunt, contemnunt. An non hoc est dicere: *sanguis eius super nos, & super capita nostra?* Qui per cruenta bella venit super capita nostra: vt satis diu experti sumus. Necdum tamen poenitentiam agimus

mus, vt etiam in obduratione Iudæorum contumaciæ, tandemque etiam pœnæ affimilemur. Et sanè gladius hostilis nondum est in vagina; Turcicus in ceruices Christianorum acuitur. Sicut ergo Iudæis Christum occidentibus, & pœnitentiam non agentibus, ita nobis fieri potest. Nisi eum tandem aliquando conciliemus, paria reddentur.

§. XVII.

Vera pœnitentia opus esse, qui verè veniam consequi volunt.

At conciliamus, per pœnitentiam? per veram, non fictam. Verè recens quidam author scripsit: *Nullomodo exaudiuntur, qui à calamitatibus liberari cupiunt, nec inimiciam, quam cum Deo exercent, ponere vel afflicti cogitant. Ignouit Cesar multis, qui impium contra Maiestatem suam bellum gesserunt, cadibus, incendijs, stupris grassati sunt. Nullius illa oratio fuit: Veniam se cupere, reddi suis prouincijs & opibus, restitui sibi honores & dignitates; interim odisse se adhuc Casarem, inimicitiam profiteri, contra eius honorem, voluntatem, commoda, imperium, omnia moliturum, amicus infestum fore. Nemo sic insanit, vt sic ignorantiam flagitet, adeoque precibus conuitia & execrationes in Casarem coniungat. Quod in*

T 3 terrena